

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Vitvs Theodorvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

VITVS THEODORVS PASTOR  
Ecclef. Noriberg



*Sacra Dei fidus colo Noride doctor in urbe:  
Quod dederat, reddo munus & ipse Deo.*

M. D. XLIX.

I iij

VITVS THEODORVS PATRIA  
Noribergensis:

Academiae VVitebergensis alumnus vetus:  
Philosophiae pariter & Theologiae studium am-  
plexatus indefessum;

In illa Magistri, in hac si minus nomen, at omen  
diuino affecutus numine Doctoris clariss:

Quod suis partim, partim doctoris sui M. Luth-  
eri, ceu iudicis & approbatoris digniss. Commen-  
tarijs sacr. script. in publicum editis, sa-  
tis euidenter contestatus est:

Reuocatus ob id Noribergam, ac ministerio  
praepositus Evangelico in aede Sebaldina:

Colloquio praeterea doctorum virorum de reli-  
gionis controuersia adhibitus Ratispo-  
nae in Comitijs, anno M. D.

XLVI:

Magna vi eloquentiae, & vitae sanctimoniam praer-  
ditus:

Carus suis, Carus exteris:

Obijt in patria feliciter, XXI V. Martij,

M. D. XLIX.

Eteostichon.

Iosephi à Pinu.

Hac tristi est clausus Vitus Theodricus in urna:

Noricidae populi Pastor, & urbis honos.



IN VITVM THEODORVM  
Theologum.

EPIGRAMMATA.

PHILIPPI MELANTHONIS.

Effigiem VITI picturâ hac monstrat inanem:  
Conueniens nomen cui Theodorus erat.

Clara pios dedit huic urbs Noricaberga parentes:  
Addidit ingenio sed sua dona Deus.

Ipsius mores casti & sine labe fuerunt:  
Iustificâ coluit te quoque Christe fide.

Sparsit & in patria, constanti robore mentis,  
Pura Euangelij semina voce sua.

Ingenij monumenta sui, sed plura Lutheri  
Edidit: his poterunt secula futura frui.

IOAN. LAVTERBACHII.

Vitâ exiens, præco Dei vitam petit,

Qui sacra collegit primus dictata Lutheri:  
Et prælo, fierent ut manifesta, dedit:

Qui multos scripsit de religione libellos:  
Et veram docuit mente probare fidem:

Claruit hac VITVS Theodorus imagine: magnâ  
Pegnesi præco fidus in urbe Dei.

A vitâ quanquam sortitus nomen habebat:  
Annis vitâ tamen non diuturna fuit.

*Aduer sis longo confictans tempore morbis,  
Deserit in Christo morte solutus humum.  
Spiritus ad caelos, quos suspirauit, abiuit:  
Cumq; Deo superum sede beatus agit.  
In Christo moriens, studijs qui profuit orbi,  
Non moritur, vitam morte beatus agit.*

**ADAMI SIBERI.**

*Hic quoque Christe tuum nomen, verbumq; pro-  
Sincera fidei simplicitate fuit. (Iesus)  
Doctrinam didicit quam praeceptore Lutero:  
Noluit ignotam ciuibus esse suam.  
Audiit ergo illum Pegnesidos accola ripa,  
Tradentem veri dogmata pura Dei.  
AEdijt, & tali sese doctore beatam  
Dixit arenoso Noricaberga solo.  
Quid memorem, scripsit quos de pietate libellos,  
Regnum oppugnantes, impie Papa, tuum?  
Nunc in sanctorum coetu, vatumq; patrumq;  
Perpetua felix tempora pacis agit.  
Et vel inauratam cytharam dum tractat, acerram  
Ante Deum vel, quae thure referta, tenet:  
Extincto pro se Christo debere salutem,  
Illius adsertum seq; cruore canit:  
Membra, domum mentis, lucis reditura sub auras,  
Norica terra tulit, Norica terra tegit.*



NICOLAI REVSNERI.

Defunctus loquitur.

Multum qui scribit, multum quoq; viuere terris  
Creditur: hinc et as scriptur ita nimis.

Pauca equidem scripsi, sed vita commoda sancta:

Per me commodius Biblia quisq; legit.

Per me Euangelij fit lectio clarior: agris

Per me pectoribus certa medela venit.

Sat scripsi, sat ego vixi quoq; nempe professus,

Dum vixi, patria caelica verba mea.

Quod superest, Christo super at here viuo beatus,

Quem colui: felix viuere vita Deo.

PANTAL. CANDIDI.

O date Vite Deo, per templa, fauente, sacerdos,

Iuisti studijs templa beata sacris.